

1498 Francisci frater se ad urbem contulit , velleque reipubli-  
cæ stipendium facere Patribus confirmavit . Patres eum  
missum fecerunt .

Verum enim vero cum antea de Francisco restituendo  
Patres agerent , Senatus decrevit , uti is exercitus , qui Ma-  
rata se receperat , Antonium Ordelafium in Fori Livii re-  
gnum induceret , expulsa Catherina , quæ Florentinis auxil-  
lia in rempublicam miserat . Id cum propter municipum in  
fœminam impudicam & crudelem odium , tum pro Antonii  
factione posse ad exitum perduci Patres existima-  
verunt : sed provisis ad eam oppugnationem iis rebus ,  
quarum rerum excitus indigeret , nova occasio Patribus  
oblata , Senatum a sententia removit . Est in Apennino  
Metaurensium proximum finibus castellum Sollianum ,  
cujus castelli ager ad Florentinorum fines pertingit : id  
castellum Lambertus Malatesta obtinebat . Is igitur Ram-  
bertus ad Petrum Medicem veniens ei ostendit , posse Ve-  
netos per fines suos in hostium , qui sibi finitimi essent ,  
agrum atque vicos penetrare nullo prohibente . facilli-  
mum esse docet , propterea quod nemo id cogitet , nemo  
vereatur , hostes eo ab latere imparatos adoriri , magnum  
que iis terrorem incutere , magnam perniciem inferre ,  
antequam occurri ab eis possit . cupere se se in reipublicæ  
fidem recipi : non sine reipublicæ usu futurum demon-  
strat , si recipiatur . Medices explorato ab eo itinere , re-  
liquisque rebus cognitis ad urbem celeriter venit , Patri-  
busque rem denunciat . Patres Lambertum in reipublicæ  
fidem recipiunt , stipe annua quinis auri libris ei consti-  
tuta . Reverso in castra Medice , reliquisque rebus a le-  
gato ducibusque constitutis , Livianus , cui quidem &  
item Carolo Ursino Virginii filio Senatus præfecturam  
equitum tradiderat , ad eam rem tentandam deligitur . Is  
itaque Livianus castris , quæ in Forolivensi erant , ma-  
gno silentio profectus cum equitibus levis armaturæ du-  
centis quinquaginta , militibus octingentis , per Cesenæ  
agrum & Soliani fines noctu itinere confecto , ante lucem  
ad fanum Camaldulense , quod est in valle angusta ma-  
gnis